



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 93. Rex Catholicus Madritum reversus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1515.

## §. XCIII.

*Rex Catholicus Madritum reversus.*

Accidente itineris labore, ac non mediocri animi perturbatione haud parum adversa Regis Catholici valetudo ingravescebat, nihilominus autumno prope exacto iter aggredi, ac Madritum re infecta redire compellebatur, ad varia bella, quæ ipsi impendebant, suppetias ab Arragonensibus obtinere desperans. Regina quoque Deputatis abire jussis, Ilerdam contendit, ibidem Cataloniæ comitiis interfutura: Ferdinandus autem Madrido Placentiam, inde Hispalim secessit, clementiori aura hyemis rigorem temperatus: cum vero ad morbi ejus vehementiam indies nova fieret accessio, Carolus Archidux de periculo admoneatur, eidemque nunciatur, Ferdinandum juniorem ejus fratrem Avo acceptissimum esse, timendumque, ne præponderante illius affectu Regnorum, quæ ipsius essent, successione frustraretur, discrimini igitur promptis obviandum esse mediis. His monitis permotus Flandriæ Senatus omnino expedire censebat, ut nulla mora celeber Adrianus Ultrajectinus Lovaniensis Decanus, ac adolescentis Principis Moderator in Hispaniam alegaretur: Cum vero Ferdinandi aliunde

aliunde suspiciosi Principis dissidentiam Sicul. XVI.  
 caute prævertere oporteret, pro hujus Le- A. C. 1515.  
 gationis caufa obtendebantur nuptiæ in-  
 ter Archiducem & Renatam de Francia  
 Ludovici XII. Filiam conciliandæ: Se-  
 creto tamen instruebatur Legatus, ut se-  
 dulo Hispanorum Procerum consilia ex-  
 ploraret, ac de Regis valetudine nuncium  
 mitteret, ipse vero, si Regem mori con-  
 tingeret, illico Regni possessionem adiret.

### §. XCIV.

#### *Lovaniensis Decanus in Hispaniæ aula.*

Ergo Adrianus in eunte Mense Decem- Anton. de  
 bri ad Ferdinandi Regiam delatus Vera in vita  
 summis honoribus excipitur, cum vero Caroli p. 14.  
 terum gerendarum dexteritate non polle- in 4.  
 ret, Legationis suæ arcana haud diu  
 dissimulare poterat: Cognita igitur vera  
 adventus sui caufa, Rex illum Guadalu-  
 pam ad ædes Monachorum S. Hierony-  
 mi secedere jussit, quem aliquamdiu  
 ibi moratum Ferdinandus sollicitabat,  
 quatenus Archiducem induceret, ut  
 Cervium suum Gubernatorem dimit-  
 teret. Ad hoc suam operam pollic-  
 batur Decanus, spe fretus, hanc unicam  
 sibi restare occasionem, qua Carolum a-  
 dolescentem Principem in Avi sui gratiam  
 reducere posset; ut ergo valeret successus,  
Hist. Ecclesiast. Tom. XXXIII. I ambo